

tamen omnia non per modum definitionis sunt intelligenda, sed potius per modum descriptionis eorum, quae unus quisque ex propria experientia vitali atque personali recolere debeat.

Cuius multitudinis non alia invenitur unitas nisi ea quae ex ipsa quaestione repetitur. Ut enim exemplo utar, secundum Aristotelem ignis erat unum de quattuor elementis, sed secundum recentiores ignis est activitas quaedam chimica. At quamvis responsa maxime inter se distent, idem sane ab Aristotele intellectum est et a recentioribus intelligitur, cum quaeratur quid sit ignis. Hae enim quaestione ab utrisque significatur eadem quodammodo natura in iisdem specificis sensibilibus intelligenda. Quare, ipsa quaestio seu ipsa dinamica orientatio animi admirantis atque inquirentis, cum determinatis sensibilibus vel veris determinatis applicetur, structuram quamdam heuristicam³ constituit, quae quodammodo una in diversis responsis permaneat.

Quod si conceditur, perspicui potest quemadmodum inter se habeant quinque modi supra enumerati.

Nam apud S. Augustinum notio personae divinae est ipsa quaestio, quid tres. Iam habetur structura heuristica, at nondum haberi videtur circa responsum nisi perplexitas.

Apud Boethium, Richardum, S. Thomam definientes, illud est novum quod interdum quaeritur non particulariter, quid tres, seu quid sit persona divina, sed generaliter, quid sit persona.

Proinde, cum haec definitiones clare et distincte inter se comparari non possint, nisi quaestionibus metaphysicis determinetur quid sit natura intellectualis, quid substantia, quid individuum, quid existentia, quid incommunicabile, quid subsistens, quid distinctum, mirari non possumus gressum ulteriorem, quo Scotus, Capreolus, Caietanus, Suarezius, Tiphanius rationem personae per theorias metaphysicas exposuerunt.

At multae erant hae theoriae metaphysicae, neque tantummodo circa personam disputabatur; quare ad quaestiones gnoseologicas, quippe quoad nos magis notas, confugerunt philosophi; et cum caetera omnia psychologice declarari solerent, valde inconveniens habebatur ipsam personam aliter quam psychologice exponi.

³ Structura heuristica illustratur, *Irsight*, cap. II.

lignitiam acquirendam exigant sed tantummodo intelligentiae adeptae ultiores applicationes postulent.

DE EMANATIONE INTELLIGIBILI.

Tripliciter de emanatione intelligibili disseritur. Primo modo, philosophice, ut de omnibus et singulis disputetur quae sive psychologicè sive metaphysicè mentem nostram respiciant. Altero modo, historice, ut exacte perspiciatur quid singuli philosophi atque theologi de mente nostra senserint. Tertio modo, theologice atque speculative, ut ea notitia nostrae mentis acquiratur, ut intelligentia aliqua processionum divinarum haberi possit. At cum iam alibi nonnulla de quaestione tum philosophica⁶ tum historica⁷ conscripserimus, de praesenti sufficere videtur ut tertio modo procedamus.

Rem ergo facillimam aggredimur. Non enim agitur de synthesi quadam philosophica perspicienda, neque de tota opinionum serie conspicienda atque diiudicanda, sed de simplici quadam atque brevissima reflectione peragenda. Quam quidem reflectionem omnes et singuli peragere possunt, quicumque ad aetatem rationis reapse pervenerint.

Omnes enim experiendo novimus quid intercedat inter iudicium temerarium atque iudicium verum. Illud enim sine evidentia sufficienti profertur, hoc autem in ipsa rei evidentia perspecta ita fundatur ut necessitate quadam intellectuali evitari non possit. Iam vero quod in iudicio temerario deest et in iudicio vero invenitur, emanatio intellectualis seu intelligibilis dicitur. Quae sane emanatio nihil aliud est quam hoc quod quicumque evidentiam sufficientem perspicit, ex hoc ipso quod perspicit, per necessitatem quamdam intellectualiter consciam, profert iudicium verum.

Omnes etiam experiendo novimus quid intercedat inter definitionem memoriter repetitam et definitionem ideo propositam quia aliquid intelligendo perspeximus. Qui enim memoriter definitionem repetit, sonos quidem emittit, non quia quicquam intellexerit, sed quia habitum quemdam sensitivum acquisivit. Qui autem ideo definitionem profert, quia quod intellexit ex-

⁶ Insight. London & New York, 1957.

⁷ The Concept of *Verbum* in the Writings of St. Thomas Aquinas. *Theological Studies*, 1946-49.

cessionibus divinis agendum est ut dicatur 1) quemadmodum in genere concipienda sit emanatio Dei ex Deo, 2) quemadmodum duae emanationes eiusmodi et tantummodo duae concipiantur, et 3) quam ob causam prima emanatio sit generatio proprie dicta, altera autem generatio non sit.

SENTENTIAE.

Circa processiones divinas quemadmodum intelligantur, aliae sententiae sunt erroneae, aliae insufficientes, aliae minus bene propositae, et alia S. Thomae.

Sententiae erroneae eorum sunt qui peccent sive per excessum sive per defectum. Per excessum quidem peccant semirationalistae qui mysteria demonstrabilia affirmant et ea demonstrare nituntur; quae quidem sententia explicite et sub anathemate damnata est in conc. Vaticano (DB 1816). Per defectum autem peccant qui negant nos hac in vita vel imperfectam mysteriorum intelligentiam habere posse; quae sententia pio quodam sensu olim intelligi potuit ut, videlicet, errores haereticorum refellerentur vel audacia speculantium reprimeretur; cum tamen aperte conc. Vaticano contradicat (DB 1796), prorsus derelinquenda est.

Sententiae autem insufficientes sunt eorum qui ita aliquid verum dicant ut tamen ipsum problema parum se intellexisse demonstrant. Ita verum omnino est quod bonum est sui diffusivum; at aliquid plus requiritur. Qualis enim est ista diffusio. Qualiter differt prima a secunda? Cur non sit tertia, quarta, sescentesima? Iterum, omnino verum est Deum trinum esse perfectam quamdam amoris societatem. At redeunt quaestiones neque solvantur.

Sententiae minus bene propositae sunt eorum qui ita analogia psicologica utantur ut propriam huius analogiae vim atque efficaciam quodammodo praetermittant. Secundum hanc enim sententiam, quam credimus veriore, existit similitudo quaedam inter divinas processiones et emanationes finitas quae in parte hominis intellectiva fiunt. At dupliciter concipi potest ipsa pars hominis intellectiva: uno modo, secundum ipsam partis intellectivae realitatem; alio modo, secundum quamdam analogiam ex parte hominis sensitiva deductam. Primo modo, concipitur intellectus humanus secundum ipsum intelligendi actum; et ita S. Thomas qui affirmat quod « anima humana in-

est; tertio, nimia complexitate iam oneratur nostrum argumentum; et, quarto, perutile iudicamus viae syntheticae naturam indolemque propriam seorsim exponere; quamvis enim theologiae non sit nisi pars quaedam, ea tamen est pars quae nostris temporibus plus iusto aestimari non solet.

PROBLEMA.

Fundamentale problema trinitarium in eo est quod et 1) Filius est tum a se tum non a se, et 2) Spiritus sanctus est tum a se tum non a se, et 3) aliter Filius et aliter Spiritus non est a se.

Nam Deus est a se. Sed Filius est Deus. Ergo Filius est a se. Similiter, Spiritus sanctus est Deus. Ergo etiam Spiritus sanctus est a se.

Attamen, Filius non est a se. Nam est Filius, natus ex Patre, unigenitus, de substantia Patris, Deus ex Deo, lumen ex lumine, Deus verus de Deo vero (DB 54).

Similiter, Spiritus sanctus non est a se. Nam est « procedens ex Patre », (DB 86), et « ex Patre simul et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suamque esse subsistens habet ex Patre imul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit » (DB 691).

Denique, aliter Filius non est a se, et aliter Spiritus sanctus non est genitus sed procedens (DB 39). Generatione ergo Filius sed spiratione (DB 691) Spiritus oritur.

Iam vero idem secundum idem non potest simul affirmari et negari. Quare necesse est ut dicamus Filium secundum aliud esse a se et secundum aliud non esse a se. Pariter necesse est ut dicamus Spiritum sanctum secundum aliud esse a se et secundum aliud non esse a se. Denique necesse est ut aliud sit secundum quod Filius non est a se, et aliud secundum quod Spiritus non est a se.

Porro, ad solutionem huius problematis primus gressus est facillimus. Facillime enim dicitur Filius qua Deus esse a se sed qua genitus non esse a se. Facillime etiam dicitur Spiritus qua Deus esse a se sed qua spiratus non esse a se. Facillime denique aliud esse dicitur genitum esse et aliud spiratum esse.

Attamen si tota solutio in vocibus exterius prolatis consistit, fit quidem sonus in aere sed, cum nihil habeatur in mente,

primere vult, non solum aliis verbis sed etiam multis diversisque exemplis illustrare potest id quod interdicit; sicut enim in definiendo, ita etiam in illustrando, omne quod dicitur per ipsum intelligendi actum dirigitur atque quodammodo necessitatur. Iam vero quod in memoriter repetente deest sed in intelligente atque multipliciter explicante adest, itrum emanatio intellectualis seu intelligibilis dicitur. Quae sane emanatio nihil aliud est quam hoc quod quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, per quamdam necessitatem intellectualiter conscientiam, tum definitiones tum explicationes atque illustrationes profert.

Omnes denique experiendo novimus quid intercedat inter actum voluntatis inordinatum rationique repugnantem et alia ex parte, actum voluntatis ordinatum, honestum, obligatorium, sanctum. Bonum enim intellectu perspectum et ratione approbatum et voluntati impositum ita nos obligat ut, vel irrationales contra dictamen rectae rationis eligamus, vel rationales intellectui dictanti cedamus. Quod ergo in actu moraliter malo deest, in actu autem moraliter bono adest, processio illa spiritualis atque moralis est, quae ita efficaciter voluntatem obligat, ut non solum bonum amare debeamus sed etiam bonum actu diligamus. Quae sane processio etiam emanatio quaedam intellectualis seu intelligibilis est, cum in eo consistat quod propter bonum intellectu perspectum appetitus potentia rationalis fiat rationalis actu. Propterea, cum ex ipsa sua natura voluntas sit appetitus rationalis, cum hic appetitus actu rationalis esse non possit nisi actu rationem sequatur, necessario dicitur quod « de ratione amoris est quod non procedat nisi a conceptione intellectus ».

Quibus in propria experientia interna quasi conspectis, ad emanationem intelligibilem concipiendam proceditur. Nam dupliciter sumus conscii: alio enim modo per partem sensitivam magis passivi subimus sensata et imaginata, desideria et timores, delectationes doloresque, gaudia et tristitiam; alio autem modo per partem intellectivam magis activis sumus cum conscientie inquiramus ut intelligamus, intelligamus ut dicamus, evidentiam ponderemus ut iudicemus, consiliemur ut eligamus, velimus ut faciamus. Proinde in ipsa hac conscientia intellectuali atque activa distinguuntur lumen quoddam generale atque fundamentale et eiusdem luminis determinationes ulteriores. Fundamentale enim atque generale omnino lumen est ipsa nostra creata participatio luminis increati, unde in nobis ori-

Tur omnis admiratio, omnis inquisitio, omnis reflectio; cui etiam attribuuntur illa principia generalissima, quae nullam determinationem ex experientia derivatam contineant, puta, principia identitatis, non-contradictionis, rationis sufficientis, vel praeceptum faciendi bonum malumque vitandi. Quod tamen in nobis est intellectualiter et conscie operativum non solum hoc generali lumine constat, sed etiam ipsis nostris actibus conscis ulterius determinatur; unde per modum materiae, sensibilia, per modum formae, actus intelligendi, per modum actus secundi, perspecta evidentia et iudicia et consilia ulterius determinant nos ipsos qua intellectualiter, rationaliter, moraliter conscios conscieque activos atque operativos.

Quibus perspectis, iterum audiamus S. Thomam: « Quicumque enim intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae, ex vi intellectiva proveniens, et ex eius notitia procedens »⁸. Quando ergo intelligimus et eo ipso quod intelligimus, ex ipsa vi intellectiva, quae est lumen generale conscientiae intellectualis, et ex notitia, quae in actu intelligendi continetur et lumen generale determinat, procedit intra ipsam conscientiam intellectualem conceptio seu definitio rei intellectae. Similiter, quando evidentiam sufficere perspicimus, eo ipso quod perspicimus, ex ipsa necessitate luminis intellectualis per perspicentiam determinati, procedit intra ipsam conscientiam intellectualem affirmatio seu negatio vera. Similiter, quando bonum obligatorium iudicamus, eo ipso quod iudicamus, per ipsam nostram intellectualitatem seu rationalitatem spiramus volitionis actum.

Emanatio ergo intelligibilis est conscio origo actus tum intra conscientiam intellectualem tum vi ipsius conscientiae intellectualis actu determinatae.

Quae sane emanatio non ens rationis est sed reale, neque ens reale et intentionale sed ens reale et naturale.

Est ens reale: non enim ita concipitur ut esse negetur, sed et concipitur et esse affirmatur.

Est ens naturale: non enim affirmatur in intellectu ita realiter esse ut sit medium ad aliud cognoscendum; sed ita in intellectu realiter esse affirmatur ut ad ipsam intellectus naturam pertineat. Quaecumque enim cognoscimus realiter nobis insunt, non tamen secundum esse naturale sed secundum esse inten-

⁸ *Sum. theol.*, I, q. 27, a. 1. Cf. sup. annot. 3, p.

appendicem I remisimus omnia quae mentem S. Thomae hac in re respiciant.

ASSERTUM II

PER SIMILITUDINEM EMANATIONIS INTELLIGIBILIS DUAE ET TANTUMMODO DUAE PROCESSIONES DIVINAE CONCIPI POSSUNT, NEMPE, VERBI A DICENTE, ET AMORIS AB UTROQUE.

Ad terminos:

emanatio: quaecumque origo;

emanatio intelligibilis: origo conscia actus intra conscientiam intellectualem et vi ipsius intellectualis conscientiae actu determinatae;

dicens: principium emanationis intelligibilis quatenus per actum intelligendi determinatur;

verbum: immanens terminus emanationis intelligibilis ex dicente¹⁴;

spirans: principium emanationis intelligibilis quatenus determinatur tum per actum intelligendi tum etiam per consequens verbum quod est iudicium practicum seu iudicium valoris¹⁵;

amor: fundamentalis actus voluntatis; cf. *Sum. theol.*, I, q. 20; I-II, qq. 26-28; II-II, qq. 23-33. Qui quidem amor, quamvis non in intellectu sed in voluntate recipiatur, sane est intra ipsam conscientiam intellectualem, cum voluntas sit appetitus intellectum sequens seu intellectualis. Quare sicut verbum est immanens terminus emanationis intelligibilis ex dicente, ita amor est immanens terminus emanationis intelligibilis ex spirante¹⁶.

¹⁴ Duplex esse verbum interius sicut et duplex est operatio nostri intellectus, vide infra Appendicem II, sect. 2. In Deo, tamen, sicut idem est esse quod essentia, et unica infinita est intelligendi operatio, ita unum est verbum.

¹⁵ «Spirans» est idem quod «notionaliter diligens» [*Sum. theol.*, I, q. 37, a. 1 c. ad fin].

¹⁶ Vide etiam *C. Gent.*, IV, 19. Circa «amatum in amante» vide questionem annexam IV infra. Circa intellectualitatem voluntatis apud S. Thomam, considera argumentum quo probatur voluntatem Dei esse causam rerum: «Secundum hoc enim effectus procedunt a causa agente, secundum quod praecesserunt in ea: quia omne agens agit sibi simile.

Proinde, natura aut est materialis aut spiritualis. Sed Deus nullo modo est materialis. Et ideo processio divina est ad modum naturae spiritualis.

Uterius, inquantum natura spiritus a nobis ignoratur, nulla habetur similitudo ad processiones divinas concipiendas; et ideo considerari oportet naturam spiritualem secundum quod a nobis cognoscitur, scilicet, secundum quod intellectu et voluntate consistit. Concipiendae sunt ergo processiones divinae ad modum naturae intellectualis et voluntariae.

Iam vero non solum haec ulla conclusio sed etiam omnes anteriores sunt considerandae. Non ergo est quaerenda analogia ex natura intellectuali et voluntaria, vel inquantum per coniunctam naturam materialem limitatur, vel inquantum ipsa se perficit per modum agentis, vel inquantum ex potentia sive remota sive proxima ad actum transit, vel inquantum alius actus ex alio emanat.

Neque sufficit mera negationum cumulatio. Sic enim certo scitur quid non sit similitudo secundum quam concipi possunt processiones divinae. At docta haec ignorantia non fundat mysteriorum intelligentiam neque vel unum gressum facit secundum viam syntheticam.

Et ideo inveniendae est positiva illa ratio quae non causalis est sed naturalis, non ad modum naturae materialis sed ad modum naturae intellectualis et voluntariae, non circa transitum de potentia remota vel proxima in actum sed circa ipsum actum est. Imo, quamvis propter defectum nostrae imaginis alium actum ex alio emanantem considerari oporteat, ne hoc quidem est faciendum nisi ut inveniatur illud quod de ipsa sua intrinseca ratione multos actus non exigit.

Quibus perspectis, omnis alia emanationis ratio, praeter processiones conscientiae intellectualis, excludi videtur.

Corollarium

Quae cum ita sint, superfluum in theologia trinitaria quaestiones de variis principiis metaphysicis sive potentialibus sive agentibus e quibus procedunt actus nostri finiti sive intelligendi sive affirmandi sive diligendi. Ex dictis, enim, haec nihil simpliciter faciunt ad ipsam analogiam trinitariam, quae tota in emanatione intelligibili consistat. Qua de causa, ad

quo posterius consideraretur quodcumque alterius intelligentiam praerequeret.

Quod si iam totum opus per modum unius conspicere volumus, unam fere in omnibus fundamentalem notionem invenimus. Sicut enim in ipsis rebus materialibus atque sensibilibus cernitur ordo, ita etiam intra conscientiam nostram intellectualem atque rationalem ordo exsistit. Qui quidem ordo conscie rationalis, quo ordinantur volitiones per iudicia intellectus, et ipsa intellectus iudicia per perspectam rerum evidentiam, si ab imperfectionibus naturae finitae abstrahitur et analogice ad Deum transfertur, aliquam parit intelligentiam duarum in Deo processionum, et quatuor relationum realium, quarum tres realiter inter se distinguuntur. Quibus si additur nihil realiter Deo inesse quin Deus sit, constat has relationes esse subsistentes, ideoque tres esse divinas personas quarum unaquaeque et sui et alterius cuiusque conscia sit. Praeterea, cum multa ordine et unum et bonum constituent, ulterius concluditur tum ad perfectionem tribus personis divinis propriam tum etiam ad perfectionem quam ipsae nobis communicant in illo ordinis bono quod est regnum Dei, et Christi corpus, et ecclesia, et oeconomia salutis.

Quae quidem intelligentia, etsi imperfecta, analogica, obscura, viae syntheticae fructus principalis est. Facit quidem ut doctrinam catholicam de divinis personis ita firmiter tenere possimus ut prompte, facile, delectabiliter de iis disseramus. Facit etiam ut ea quae de SS. Trinitate cognoscamus tum cum philosophicis de Deo conclusionibus tum cum aliis tractatibus theologicis in unitatem quamdam intelligibilem reducamus. Facit praeterea ut obstaculum subiectivae tarditatis non interponamus cum ad mentem scripturae, patrum, theologorum pervenire conemur. Facit denique ut in iudicandis motibus intellectualibus et contemporaneis tum citius falsa detegamus tum facilius vera deprehendamus.

licum quod per verum ad Deum qua trinum accedit. Si autem quis speciem antiquatae opinionis timet, si rationem veri et entis renuntiat ut subiectum intimius scrutetur, non solum ipse se implicat in immanentismo, idealismo, relativismo, sed etiam velit nolit in partes liberalium et modernistarum abit.

Quae cum ita sint, de conscientia personae divinae tanquam de ente per verum cognito disseramus necesse est. Quod si fit, nullo fere negotio tota res peragitur. Nam « intelligere inconscium » sensu caret; pariter « intelligere inconscie » sensu caret. At divinum esse est divinum intelligere; divinum ergo esse et conscium et conscie est. Praeterea, divinae processiones, divinae relationes subsistentes, et quidquid aliud realiter in Deo esse dicitur, etiam realiter cum divino esse identificantur; pariter ergo et conscia et conscie sunt. Quare, si divinae relationes reales, subsistentes, realiter inter se distinctae sunt personae, et consciae sunt personae et conscie inter se distinguuntur.

De relationibus denique interpersonalibus eadem fere est ratio. Alius enim est personalismus laudabilis, et alius est personalismus exaggeratus. Exaggeratum dicimus qui, rationem veri et entis praetermittens, ad solam intersubieclivitatis experientiam attendere velit. Laudabilem autem censemus, qui ita in vero insistat atque inhaereat, ut verum semper sit mensura, neve umquam verum revelatum diminuatur, quo clarius vel facilius cum experientia concreta, vitali, personali concordare videatur.

Quibus perspectis, ad quaestionem principalem redeundum est, nempe, quid sub nomine personae intelligendum esse videatur. Quinque enim intelligimus. Nam, imprimis, persona est commune nomen quo respondemus quaerenti, quid tres? Deinde, persona est, secundum definitionem S. Thomae, subsistens distinctum in natura intellectuali. Tertio, persona divina est vel relatio subsistens vel subsistens relatione distinctum. Quarto, persona divina est subiectum distinctum et sui conscium tum qua subiectum tum qua distinctum. Quinto, personae divinae relationibus interpersonalibus non solum inter se referuntur sed etiam qua personae constituuntur.

Quae quidem ita inter se cohaerent, ut posita definitione consequantur caetera. Et ideo non omnia quinque sunt sta-